



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

12. Iudæi in vestem Christi, sortem mittentes, quàm grauitè & ipsi sub  
sortem venientes castigati?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

bilibus erit cogitandum? Quis autem fuerit numerus eorum, qui intus fame consumpti periére à 14. die Aprilis, qua cœpit obsidio, vsque ad Cæl. Iulij, custos vnus portæ Mannæus Lazari filius transgressus ad Titum testatus est, per eam scilicet portam sibi commissam, elata fuisse cadauera centum quindecim millia & octoginta, absque illis, quæ propinqui domi, vel in horris sepeliissent. Post hæc nobiliores profugi, mortuorum egenorum sexcenta millia portis eiecta nuntiabant; aliorum verò numerum, minimè potuisse comprehendere: nam cum cadaueribus efferendis non sufficerent, congesta dicebant in maximis ædibus cadauera esse inclusa. Quia autem non solum fames ipsa pestem trahit seorsum, sed etiam præ inedia lacertas & serpentes, & venenata animalia comederunt, idcirco ingens quoque pestis, per illos, grassabatur. Vnde muscarum instar conciderunt mortui, omnibus vndiq; malis appetiti. *Qua mensura mensi fueritis remetietur vobis.*

11. Iudæi in tunicam inconsutilem Christi sortem miserunt, quis quid tolleret. Vt ergo par pari referretur, tempore obsidionis, ipsi inter se Iudæi sortiti sunt, vter alterius carnifex fieret, atque alterum occideret, ne in manus hostium deueniens grauiora pateretur. Et quia clamauerunt: *sanguis eius super nos, &c.* id eò postquam Titus est ciuitate potitus, omnes obuij mactati sunt, omnia cum ipso templo incensa: ira, vt quamuis incendijs omnia lucerent, plus tamen sanguinis, quàm ignis videretur, & multis locis flamma ipso sanguine extingueretur; quasi aquæ, non sanguis, essent affusa. Sunt, qui scribant in sola vrbe Hierosolymitana per tempus obsidionis decies centena hominum millia fame, peste, igne, ferro interijisse; nonaginta septem millia capta. Ite, Iudæi, vincula iniicite Messie vestro; accusate innocentem, percutite, cædite, occidite, ovis instar obmutescentem: non erit semper tempus tacendi. *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

12. Iudæi Christum non solum eduxerunt è ciuitate sua grauiissimo crucis trunco oneratum, sed etiam enixis precibus à Pilato impetrarunt, vt in cruce auersus ab vrbe, versus occidentem suspenderet, indignum eum iudicantes, qui urbem aspiceret. Pari pacto & ipsi, non solum ex vrbe Hierosolymitana, sed etiam

XII.

Ioan. 19. 24.

XIII.